



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

LIII. Si excommunicatus lecto aegritudinis detineatur, & propinqui eius pro eo satisfecerint, Christianam poterit & debet habere sepulturam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

\*f. obti-  
nerit

mento per presbyterum \* tenuerit ab excommunicationis sententia relaxari, in cœmeterio sepeliri poterit. Si autem propinqui eius tuis acquiescere monitis contradixerint, quia iam non est peccatum purgatum, defuncto neganda est ecclesiastica sepultura.

CAP. LIII. *Idem Vintoniensi episcopo.*

Præterea qui ad sedem apostolicam appellant de clericis, & postea grauia & enormia committentes, se, cum conueniuntur, tuentur appellatione: hoc duximus respondendum, quod si post appellationem grauia committunt, & ita publice & manifeste, quod alii scandalizentur, & decor ecclesiasticæ honestatis deformetur, eos appellantes in tanta nequitia & iniquitate non debes tueri, quo minus coram te excessus canonica censura puniatur. Porro de his qui sententia excommunicationis innodati, iurant ecclesiæ iudicio stare, & mox oblitii, in vocem appellationis prorumpunt: discretioni tuæ significamus, quod eos per excommunicationem compellere debes suam appellationem profèqui, vel iudicio ecclesiæ stare.

Supra de  
appellat.  
Quod vèro  
3.

Supra de  
appellat.  
Præterea  
29.

CAP. LIV.

*Idem Bononiensi episcopo & archipresbytero.*

Consuluit nos vestra dilectio, vtrum appellatio, quæ ab omni grauamine interponitur, teneat. Super quo utique consultationi vestræ taliter respondemus, quod si forte generaliter appellationem interponeret aliquis ab omni grauamine, quod sibi contingere posset, huiusmodi appellatio tenere non debet. Si vero aliquis ab aliquo iudice super omni grauamine, quod in vna causâ sibi contingere possit, appellationis obstaculum interponeret: quamquam generalis appellatio sit interposita, appellationi tamen huiusmodi est deferendum.

Supra de  
appellat.  
Super eo 3.

CAP. LV. *Idem Noruicensi episcopo.*

Si sacerdos sciat pro certo aliquem esse reum alicuius criminis: vel si confessus fuerit, & emendare noluerit, nisi ordine iudiciario quis probare possit, non debet eum nominatim redarguere, sed indeterminate, sicut dixit Christus: *Vnus vestrum me traditurus est.* Si vero ille cui damnum il-

Matth. 26.  
Marc. 14.

Concil. Tom. 27.

Ccccc